Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2495
Quelle:
Copyright:

VI. *fol.* 173. p. 2. *Incipit constitucio fratrum et sororum ordinis de penitentia beati dominici.* Inchoat a Bulla confirmationis *Innocentii* VII. *Sedis apostolice prouidentia circumspecta* &c. cui tota tertii hujus Ordinis Regula *Capp.* XXII. constans inserta est hoc titulo: *Incipit regula fratrum et sororum ordinis. De penitencia beati dominici fundatoris et patris fratrum predicatorum. De recipiendis et eorum condicione primum capitulum. Imprimis vt hic continuum et perpetuum de bono in melius* &c. Legitur in edit. *cit. Mediolanensi fol. aa* 3. p. 2. ubi brevis hujus Instituti Historia praemittitur. Ceterum monendus est lector, Codicem hunc Constitutionum Ordinis sui a *Quetifo* vel *Echardo* in *Append.* T. II. p. 817. pro *duplici Humberti in Regulam S. Augustini Commentario* habitum fuisse, prout a *Gentiloto* intellexerat.

VII. *fol.* 177. Sequuntur *Vitae FF. Ord. Praed.* autore F. *Gerardo de Fracheto* ejusd. Ord. Aquitano ad *Lemovicas* orto ✠ 1271. Initium est: *Incipit prologus in Vitas fratrum. Dilectis in dilecto dei filio. fratribus predicatoribus Vniuersis. Frater Humbertus seruus eorum inutilis salutem.* Ex hoc Magistri Generalis praeloquio eruitur: agitatum fuisse in Capitulo generali *Parisino* 1256. ut per universum Ordinem res memoria dignae adnotarentur. *Nos huius modi scripta tradidimus carissimo fratri Geraldo Lemouicensi tunc Priori prouinciali Prouincie de cuius industria in huiusmodi multam gerebamus fiduciam: rogantes et imponentes eidem. quod perlectis et examinatis singulis. de hijs que laudabiliora reperiret. libellum aliquem ederet: Quod et fecit* &c. opus porro in V. *Partes* divisum est. *Prima continet de pertinentibus ad incboationem ordinis. Secunda multa de beato Dominico que non habentur in legenda eius. Tertia continet multa de magistro Jordano. Quarta de progressu ordinis. Quinta de egressu fratrum de mundo.* Pars quaelibet in titulos abit. Editum est Opus, quod hic charactere minusculo eleganti scriptum est, *Duaci* 1619. 4. et *Valentiae Arag.* 1657. teste *Quetifo*, quem vide T. I. p. 259.

VIII. *fol.* 234. p. 2. Adhaeret eadem manu *Cronica Ordinis* succincta ab *an. domini M°. CC°. III°.* hoc ingressu: *Beatus Dominicus cum Oxomensi Episcopo Didaco Tholosam venit* &c. Si elenchum *Quintae* Partis praecedentis Operis respicias, videasque *Cronicam Ordinis nonum* ejus *Partis Titulum* constituere, facile illam eidem Scriptori *Gerardo de Fracheto* tribuas, sed contradicit *Quetifus loco cit.* eo maxime nixus argumento, quod *Gerardus* plura in laudem *Humberti* congesturus fuisset, quam in *Cronica* leguntur. Itaque illam ipsi *Humberto* tribuit, aitque apud domesticos vulgo *Humberti Chronicon* vocari. Quid vero si vidisset exemplar nostrum? Cum enim Exemplaria illi visa in anno MCCLIV. et electione *Humberti* in Magistrum Generalem desinant, nostrum eadem manu exaratum